

tate qua undique quatitur Ecclesia, sacrosancta hæc synodus, iterum in Spiritu sancto congregata, opus fauste inceptum et luctuose interruptum ad optatum exitum feliciter perducatur!]

TRACTATUS DE SPE

DISSERTATIO UNICA

D. Thomas, a q. 17 ad q. 22.

ARTICULUS I

De spe secundum se et de ejus objecto.

Spes generaliter sumpta est « motus appetitivæ partis in bonum futurum arduum seu difficile, possibile tamen adeptu. » Theologicæ sumpta, est « habitus animi divinitus infusus per quem certa cum fiducia æternæ vitæ bona, auxilio divino obtinenda, expectamus. » Potest considerari cum charitate, et dicitur spes formata, vel sine charitate, et dicitur spes informis, sicut dictum est de fide.

Petes 1º utrum spes christiana informis sit virtus.

Resp. Spes informis est virtus, sed imperfecta ¹.

Ratio primæ partis est, quia spei christianæ etiam informi convenit definitio virtutis; est enim bona qualitas menti a Deo infusa, qua bene vivitur et nemo male utitur ut principio.

Ratio secundæ partis est, quia spes sine charitate non facit hominem simpliciter bonum; licet enim sit principium actus boni, non tamen meritorii in ordine ad finem ultimum, vitam scilicet æternam: ideoque non habet statum et modum perfectæ virtutis, sicut ante diximus de fide informi.

1. Hic q. 17, a. 1, o.

[*Obj.* non esse spem, sed præsumptionem, sperare beatitudinem sine charitate.]

Resp. peccatorem sperare sine charitate beatitudinem, sed obtinendam per charitatem; saltem enim tacite consequi sperat remissionem peccatorum, et ita obtenta charitate, per eam consequi vitam æternam.]

Petes 2^o quodnam sit objectum formale quod spei.

Suppono 1^o objectum materiale adæquatum et extensivum spei, esse æternam beatitudinem et omnia ad illam conducentia, quia hæc omnia cadunt sub objecto quo, seu sub ratione formali spei, quæ est omnipotentia auxilians, ut dicam modo.

Suppono 2^o inter hæc omnia beatitudinem esse objectum primarium et principale, quod dicitur formale quod, quia est id quod principaliter primo per se et ratione sui speratur, cætera autem ratione illius. Sed difficultas est quæ beatitudo sit objectum formale quod spei: an formalis, vel objectiva? Beatitudo objectiva est ipse Deus, formalis est possessio Dei, seu visio beatifica.

Resp. Objectum formale quod spei non est beatitudo formalis, sed objectiva¹, connotans² tamen beatitudinem formalem, seu visionem beatificam.

Prob. prima pars. 1^o Objectum formale quod et immediatum spei, quæ est virtus theologica, debet esse aliquid pure divinum et increatum, ut patet in fide et charitate; quia alioquin religio, quæ mediante cultu attingit Deum, foret virtus theologica: quod communiter negatur. Atqui sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, est quid divinum et increatum, non beatitudo formalis, quæ est actus creatus. Ergo.

2^o Illud est objectum formale quod spei, quod principaliter primo per se et ratione sui a spe attingitur,

1. Ibid., a, 2, o. — 2. Id dicitur *connotatum*, quod includitur in re aliqua. ex cuius notione cognoscitur ut naturaliter et necessario ex ea sequens.

et ratione cuius cætera attinguntur. Atqui id est sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, non beatitudo formalis. Ergo. — *Prob. min.* Sperans non quærit Deum propter possessionem, alias poneret finem ultimum in actu creato; sed quærit possessionem Dei propter Deum. Item, non quærit possessionem Dei ut rem beatificantem, sed ut modum et applicationem Dei beatificantis, ita ut tota ratio beatificans sit ipse Deus. Sic avarus quærit pecuniam ut rem, possessionem autem non quærit ut rem; non enim quærit possessionem ut possidendam, sed ut modum et applicationem rei possidendæ. Ergo.

Prob. secunda pars. Deus non est objectum spei, nisi ut possidendus. Atqui possidetur per visionem beatificam, quæ est beatitudo formalis. Ergo in objecto formali quod spei importatur de connotato et in obliquo visio beatifica, seu beatitudo formalis tamquam conditio et applicatio objecti formalis.

[Ex his colliges quod neque aggregatum ex beatitudine formali et objectiva possit dici objectum formale quod spei, tum quia istud aggregatum non est quid pure divinum et increatum, tum quia beatitudo formalis et objectiva in objecto spei non sunt duæ res aut duæ causæ, sed una res tantum et una causa cum applicatione causæ; ita ut tota ratio formalis objecti sit beatitudo objectiva, seu Deus, ejus autem possessio, conditio tantum requisita ut beatificet: sicut, dum ignis, applicatus ligno, comburit, ignis et applicatio non sunt duæ causæ, sed una tantum, quæ est solus ignis.]

Petes 3^o quodnam sit objectum formale quo spei.

Resp. Objectum formale quo spei est omnipotentia auxilians, id est præbens aut offerens auxilia¹.

Prob. Illud est objectum formale quo spei, quod est motivum et ratio cur speramus seu expectamus a Deo,

1. Ibid., a, 1, o, et quæst. unica de spe, a, 1.

certa cum fiducia, beatitudinem æternam et media ad illam conducentia. Atqui istud motivum est omnipotentia auxilians. Ergo. — Prob. min. Non possumus sperare certa cum fiducia beatitudinem, nisi ab eo quem novimus posse et velle eam dare. Atqui Deus, ut omnipotens, potest eam dare, et ut auxilians, seu præbens aut offerens auxilia, vult illam dare. Ergo.

[Petes 4^o utrum liceat sperare in homine.

Resp. Non licet sperare in homine¹, sed in solo Deo, tamquam in primaria causa beatitudinis nostræ; quia ipse solus tamquam causa principalis ad eam nos perducere potest. Licet autem sperare in homine, vel in aliqua creatura, tamquam in agente secundo et instrumentali per quod adjuvamus ad consequenda quæcumque bona in beatitudinem ordinata: et hoc modo convertimur ad sanctos, et ab aliis hominibus aliqua petimus.

Hinc inferes etiam esse licitum spem aliquam ponere in propriis meritis ex gratia Dei acquisitis, tamquam in causis instrumentalibus, siquidem sint media a Deo ad salutem ordinata, et tota fiducia ultimate refundatur in ipsum authorem gratiæ et meritorum.]

ARTICULUS II

In quibus sit spes?

Dico 1^o: Spes remanet in omnibus fidelibus viatoribus, etiam peccatoribus, qui non desperant vel præsumunt.

Prob. 1^o quia Tridentinum, sess. vi, cap. 6 et can. 3, et sess. xiv, cap. 4, requirit spem in peccatoribus qui se ad justificationem disponunt. S. Thomas, quæst. præcedenti 17, a. 8, docet spem, ordine generationis, præcedere charitatem, et 1^a 2^a, q. 65, a. 4, fidem et spem posse esse sine charitate.

1. Ibid., a. 4, o.

2^o Habitus destruitur, vel per accidens, ad destructionem fundamenti, vel per se a suo contrario, aut ex destructione objecti. Atqui fundamentum spei, quod est fides, remanet in peccatoribus fidelibus, et peccata quæcumque, præter desperationem et præsumptionem, non sunt spei contraria; remanet etiam objectum spei formale *quod*, beatitudo scilicet futura ardua, possibilis, et formale *quo*, nimirum omnipotentia auxilians. Quamvis enim peccator non possit sperare beatitudinem adipisci manendo in eodem statu, potest tamen sperare, ex omnipotentia auxiliante, statum mutare, et eo mutato, beatitudinem per gratiam et charitatem obtinere.

[Dixi 1^o: « In omnibus fidelibus viatoribus, » quia in hæreticis, cum in iis destruat fundamen- tum spei, quod est fides, destruitur etiam spes: unde, quamvis videantur sperare, spes eorum non est theologica, sed humana et falsa.

Dixi 2^o: « Qui non desperant aut præsumunt, » quia desperatio et præsumptio contrariantur spei: de quibus infra.]

Dico 2^o: In damnatis non remanet spes, bene tamen in animabus in Purgatorio¹.

Prob. prima pars. Spes est de beatitudine futura possibili. Atqui ad conditionem miseriæ damnatorum pertinet, ut ipsi sciant quod nullo modo possunt damnationem evadere et ad beatitudinem pervenire. Ergo.

Confirm. Spes fundatur in fide. Atqui fides non remanet in damnatis, ut diximus in tract. *de Fide*, dissert. IV, art. 2, *De habentibus fidem*, dico 2^o. Ergo nec spes.

Prob. secunda pars. Respectu animarum in Purgatorio, beatitudo est adhuc absens, ardua et per graves pœnas assequenda, sicque objectum spei.

Dico 3^o: Spes theologica, neque quoad actum, neque quoad habitum, manet in beatis².

1. Ibid., q. 18, a. 3, o. — 2. Ibid., a. 2, o.

Prob. 1° ex Apostolo, *Rom.*, viii, 24, dicente : *Spes quae videtur, non est spes ; nam quod videt quis, quid sperat ?*

Prob. 2°. Subtracto eo quod dat speciem, resolvitur species, et non potest res eadem remanere¹. Atqui in beatis subtrahitur objectum formale a quo spes habet speciem. Ergo. — *Prob.* min. Objectum formale spei est beatitudo futura et nondum habita. Ergo in beatis, etc.

Unde, quamvis beati videantur adhuc aliquid sperare, vel sibi, ut gloriam corporis, vel aliis, ut beatitudinem ipsam essentialem, non est spes theologica, sed spes communiter et late dicta, seu potius desiderium ex amore charitatis profluens.

[*Petes* utrum timor spei conjunctus sit bonus.

Resp. Quadruplex distinguitur timor : humanus, servilis, filialis et initialis².

1° Timor humanus seu mundanus est fuga mali temporalis per offensam Dei. Est mortaliter vel venialiter malus, prout in mortale vel veniale peccatum inducit. Hinc illud, *Matth.* x, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Et, *Luc.*, ix, 26 : *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.* Attamen, sicut amor malus temporalis non constituit peculiarem speciem vitii, sed generatim per omnia vitia vagatur ; ita, proportionem servata, timor humanus, absolute spectatus.

2° Timor Dei servilis est fuga peccati ob formidinem poenae a Deo infligendae. Duplex est : 1° Timor serviliter seu formaliter servilis, quo sola poena reformidatur, quin animus odio prosequatur culpam ; ita ut homo peccare vellet, si poena non impenderet. Hic timor malus est atque vitiosus, tum quia voluntatem peccandi non excludit, tum quia peccati poenam ipsa culpa potiore habet. 2° Timor materialiter tantum servilis, quo animus vere aversatur culpam propter poenam quidem, sed non ita dispositus, ut peccatum ageret, si poena abesset. Hic posterior corres-

1. *Ibid.*, o. — 2. *Hic q.* 19, a, 2, o.

pondet virtuti spei, et bonus est, quamvis non perfectus ; nam oritur ex amore sui bene ordinato. Unde Christus Dominus, *Luc.*, xii, 5 : *Ostendam vobis quem timeatis. Timeate eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timeate.* Et Tridentinum, sess. vi, can. 8 : « Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere ; anathema sit. »

3° Timor filialis, seu castus, est timor peccati, ad cavendam Dei offensam. « Filiorum est timere offensam patris, » ait Angelicus¹. Hic timor est optimus, quia oritur ex charitate : imo crescit, crescente charitate ; nam quo magis quis Deum diligit, eo magis timet ei per peccatum displicere. Talis timor spem mirifice adjuvat, siquidem eo majorem sperandi rationem habemus, quo magis Dei offensam reformidamus et de viribus nostris diffidimus.

4° Timor initialis est fuga peccati primario ut est malum culpae, secundo ut est causa poenae. Dicitur initialis, 1° quia competit incipientibus ambulare viam mandatorum Dei ; hi enim ducuntur partim amore virtutis, partim formidine poenae ; 2° quia *initium sapientiae timor Domini*, *Ps.* cx, 10.]

ARTICULUS III

De necessitate spei.

[Necessitas est vel medii, vel praecipii ; respicit autem spem sive habitualement, sive actualem.

Dico 1° : Spes habitualis omnibus hominibus, tam parvulis quam adultis, necessaria est necessitate medii ad justificationem et salutem.

Prob. 1° Scriptura sacra. Apostolus dicit, *Rom.*, viii, 24 : *Spe salvi facti sumus.* Ergo sine spe, sicut et sine fide et

1. *Ibid.*

charitate, non est salus; consequenter nec justificatio, cum justus solus sit salvandus. Idem, I Cor., XIII, 13: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Major autem horum charitas.* Spes hic reponitur inter tres virtutes quæ nunc, id est in præsentī vita, sunt necessariae ad vitam animæ, seu ad justificationem. Ad eos qui ex gentilitate ad Ecclesiam venerant dicit idem Apostolus, Ephes., II, 12: *Eratis in illo tempore sine Christo, . . . hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.* Unde qui spem non habent, sunt alienati a Christo et Deo, nec ideo justi. Similia leguntur Tit., III, 7; Hebr., X, 23.

Prob. 2^o ex Trident., sess. VI, cap. 7: « Fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. » Hic agitur, non de actibus, sed de habitibus trium harumce virtutum.

Prob. 3^o ratione. Homo non est justus, nisi voluntas ejus ad finem suum ultimum, seu ad beatitudinem æternam, ordinetur. Atqui sic ordinari non potest, nisi hunc finem se obtenturum speret. Ergo.

Dico 2^o: Spes actualis omnibus adultis ratione pollentibus necessaria est, necessitate tam medii quam præcepti.

Prob. prima pars. 1^o Justi sine spe non possunt postulare a Deo gratias et cujusvis generis auxilia ad perseverandum in justitia et ad finem ultimum consequendum necessaria. Hoc innuitur textu Pauli supra relato: *Spe salvi facti sumus.* — 2^o Peccatores spe certe indigent ut ad justificationem se disponant, ut docet Trident. ubi supra. Porro in utroque casu habitus solus non sufficit, sed actus requiritur, ut homo ad Deum moveatur.

Confirm. Habitibus spei necessarius est necessitate medii ad justificationem. Atqui hic habitus ordinatur ad actum. Ergo.

Prob. secunda pars. 1^o Apostolus, Hebr., X, 23: *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem; fidelis enim est qui repromisit.* Confessio spei nihil aliud est quam ac-

tus, et præceptum exprimitur per hoc verbum, *teneamus.* I Tim., V, 5: *Quæ autem vere vidua est, speret in Deum, et instet obsecrationibus. Speret* continet pariter actum et præceptum. *Ibid.*, VI, 17: *Præcipe. . . neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Idem I Petr., I, 13: *Sobrii perfecte sperate in eam quæ offertur vobis gratiam.* — 2^o Omnia quæ necessaria sunt ad salutem necessitate medii, sunt pariter necessaria necessitate præcepti, quia Deus vult certe et necessario hæc media adhiberi. Atqui actus spei est necessarius necessitate medii. Ergo. — 3^o Hæc necessitas eruitur ex condemnatione propositionis sequentis, n. 1, ab Alexandro VII: « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium. »

Necessitas actus spei fuit negata a Quietistis. Imo, eo usque processit Michael Molinos, ut doceret, vitam internam in hoc consistere, quod homo suas potentias annihilaret, et mere passive se habeat, quia « velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens. » Hoc principium omnis actus cujuslibet virtutis destructivum spei applicans, dicebat Molinos: « Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione; nec de paradiso, nec de inferno; nec de morte, nec de æternitate. » Hæc propositio est 7^a inter 68 ab Innocentio XII damnatas. Doctrina quietismi absoluti jam fuerat reprobata hæc definitione Trident., sess. VI, can. 31: « Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu mercedis æternæ bene operatur; anathema sit. » Semi-Quietistæ, inter quos illustrissimus Fénelon per aliquod tempus primum locum tenuit, actum spei non reprobabant quidem ut malum, sed illum ut minus perfectum habebant, docentes animam ad statum charitatis tam puræ elevari posse, ut prorsus indifferens fiat ad ea quæ seipsam respiciunt, et « nihil sibi, omnia Deo velit. » Hoc systema sufficienter noscitur ex tribus his propositionibus, quæ sunt 1^a, 2^a et 4^a inter 23 ab Innocentio XII damnatas: « Datur habitus status amoris Dei qui est charitas pura, et sine ulla

admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam. » — « In statu vitæ contemplativæ sive unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris et spei. » — « In statu sanctæ indifferentiæ, anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur. » Omnes norunt quam humiliter et etiam alacriter decretum pontificium amplexus sit Fénelon, de quo Innocentium dixisse refertur, quod « Cameracensis peccavit tantum excessu amoris Dei. »

Petes quandonam præceptum spei obliget.

Resp. 1° Obligat, sicut præceptum fidei, per se : 1° initio usus rationis, quando nempe æterna beatitudo sufficienter proposita est tamquam finis ultimus, ad quem unusquisque tendere debet ; 2° in periculo mortis, ut homo contra tentationes tunc exurgere solitas roboretur, et in Deum ultimum finem mox consequendum feratur ; 3° sæpius in vita, ad minus semel quolibet anno ; quia sine actu spei nec in statu justitiæ persistere, nec merito operari possumus. De cætero, sufficit spes virtualis, quæ a fidelibus passim exercetur, v. g., cum orant vel sacramenta recipiunt.

2° Obligat per accidens : 1° quando ex præcepto eliciendus est actus alterius virtutis, v. g., orationis aut penitentiae, qui sine actu spei saltem implicito exerceri non potest ; 2° quando quis versatur in periculo desperationis ; 3° in omni tentatione, cum adest periculum ei consentiendi, nisi spes animum erigat¹.]

1. S. Lig., lib., II, n. 20 ; *Homo apost.*, IV, 13.

ARTICULUS IV

Quæ sint vitia opposita spei theologicæ ?

[Peccata spei contraria duplicis sunt generis : horum alia adversantur *desiderio* beatitudinis æternæ, alia *fiduciæ* illam obtinendi.

Dico 1° : Desiderio beatitudinis æternæ adversantur : 1° hujus sæculi affectus, quo terrena magis quam æterna cupiuntur ; 2° affectus inordinatus felicitatis cœlestis, quo ex tædio vitæ et laboris beatitas ultima appetitur.

Prior affectus est peccatum mortale, si in terrenis ultimus finis reponatur : v. g., si quis ita comparatus sit, ut optet perpetuo in præsentī vita degere, et Deo relinquere cœlum, si Deus ipsi terram relinquere vellet. Posterior non excedit veniale, nisi adsit expressa rebellio contra divinam providentiam. Licite vero sibi quis mortem exoptat, ut vitet peccatum vel aliud ingens malum, dummodo divinæ voluntati se submittat¹, et non alio sensu quam Apostolus dicat, *Rom.*, VII, 24 : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?*

Dico 2° : Expectationi fiduciali beatitudinis æternæ adversatur, per defectum, desperatio ; per excessum, præsumptio.

1° Desperatio est « animi desponsio, seu motus voluntatis, quo quis refugit adipisci beatitudinem per media ordinaria. » Definitur etiam aliter, « diffidentia obtinendi beatitudinem, vel media ad illam obtinendam necessaria. »

Desperatio est peccatum ; quod sic probat Angelicus, hic q. 20, a. 1, o : « Omnis motus appetitivus conformiter se habens intellectui vero, est secundum se bonus ; omnis autem motus appetitivus conformiter se habens intellectui falso, est secundum se malus et peccatum. Circa Deum

1. Id., *ibid.*

autem vera existimatio intellectus est quod ex ipso provenit hominum salus, et venia peccatoribus datur...; falsa autem opinio est quod peccatori poenitenti veniam denegat, vel quod peccatores ad se non convertat per gratiam justificantem. Et ideo, sicut motus spei, qui conformiter se habet ad existimationem veram, est laudabilis et virtuosus; ita oppositus motus desperationis, qui se habet conformiter existimationi falsæ de Deo, est vitiosus et peccatum. »

Hoc peccatum est mortale, et quidem gravissimum, minus tamen peccato infidelitatis et odii Dei, sed periculosius, ut demonstratur ab eodem Doctore, *ibid.*, a, 3, o: « Quod primo et per se habet aversionem a Deo, est gravissimum peccatum inter peccata mortalia. Virtutibus autem theologicis opponuntur infidelitas, desperatio et odium Dei: inter quæ odium et infidelitas, si desperationi comparentur, inveniuntur secundum se quidem, id est secundum rationem propriæ speciei, graviora. Infidelitas enim provenit ex hoc quod homo ipsam Dei veritatem non credit; odium vero Dei provenit ex hoc quod voluntas hominis ipsi divinæ bonitati contrariatur; desperatio autem ex hoc quod homo non sperat se bonitatem Dei participare. Ex quo patet quod infidelitas et odium Dei sunt contra Deum secundum quod in se est, desperatio autem secundum quod ejus bonum participatur a nobis. Unde majus peccatum est, secundum se loquendo, non credere Dei veritatem, vel odisse Deum, quam non sperare consequi gloriam ab ipso. Sed, si comparetur desperatio ad duo peccata ex parte nostra, sic desperatio est periculosior; quia per spem revocamur a malis et inducimur ad bona prosequenda. Et ideo, sublata spe, irrefrenati homines labuntur in vitia et a bonis laboribus retrahuntur... Et Isidorus dicit in *lib. de Summo bono*: « Perpetrare flagitium aliquod, mors animæ est; sed desperare, est descendere in infernum. »

Sequitur, desperationem proprie dictam non admittere materiæ parvitatem, quamvis aliquando venialis fieri

possit, ob defectum pleni consensus¹. Ideo confessarius examinare debet an ex desperationis affectu consueta pietatis officia, præsertim cum præceptum urgebat, intermissa fuerint, necne. Inde satis tutum præstiti vel negati consensus indicium habebit. Advertat tamen, plures poenitentes, non de Dei misericordia, sed de sua ejus gratiæ cooperatione desperare; quod proprie desperatio vocari non debet, sed est *pusillanimitas*, quæ admittit materiæ parvitatem.

2º Præsumptio, quæ est desperatione frequentior, oritur ex timoris Dei defectu, et definitur: « Temeraria expectatio beatitudinis mediorumve ad illam. »

Est peccatum, et quidem, secundum D. Thomam, hic q. 21 a. 1, o, « est proprie species peccati in Spiritum sanctum, quia scilicet per hujusmodi præsumptionem tollitur vel contemnitur adjutorium Spiritus sancti, per quod homo revocatur a peccato. »

Est peccatum per se grave, quod non excusatur a tanto, nisi per actus imperfectionem. Rationem affert Angelicus, *ibid.*, a. 2, o: « Sicut supra dictum est circa desperationem, omnis motus appetitivus qui conformiter se habet ad intellectum falsum, secundum se malus est et peccatum. Præsumptio autem est motus quidam appetitivus, quia importat quamdam spem inordinatam; habet autem se conformiter intellectui falso, sicut et desperatio. Si enim falsum est quod Deus poenitentibus non indulgeat, vel quod peccantes ad poenitentiam non convertat; ita falsum est quod in peccato perseverantibus veniam concedat, et a bono opere cessantibus gloriam largiatur: cui existimationi conformiter se habet præsumptionis motus. Et ideo præsumptio est peccatum, minus tamen quam desperatio; quoniam magis proprium est Deo misereri et parcere, quam punire, propter ejus infinitam bonitatem. Illud enim secundum se Deo convenit, hoc autem secundum nostra peccata. »

1. S. Lig., lib. II, n. 20, *Resolv.* 2º.

Unde : 1° Ille peccat, qui salutem sperat, vel propter propria merita, vel propter merita Christi, absque ulla cooperatione suorum operum¹. — 2° Item mortaliter peccat, qui ob spem veniæ inducitur ad peccandum, quia, v. g., Deus tam facile plura peccata quam unum ignoscit. Secus vero, si diceret se tam facile declaraturum in confessione plura peccata quam unum : quod per se non est nisi veniale². — 3° Præsumptionis proprie dictæ reatum non contrahit, qui peccat cum spe veniæ, ita ut hæc spes non sit motivum peccandi, sed peccatum comitetur tantum. — 4° Difficile excusantur a peccato gravi contra charitatem sibi debitam, qui perseverant in peccato sub spe aliquando pœnitendi, cum magno periculo damnationis se exponant³.

Animadvertendum est, cum peccato sive desperationis sive præsumptionis conjungi aliquando peccatum hæresis, v. g., si quis judicaret, ut Cain, suum peccatum esse irremissibile ; aut si quis per solas naturæ vires salutem speraret, sicut Pelagiani ; vel per solam fidem, sine operibus, ut Lutherani.]

1. S. Lig., lib. II, n. 21. — 2. Id., ibid. — 3. Id., ibid. ; *Homo apost.*, IV, 8.

TRACTATUS

DE CHARITATE

D. Thomas, a q. 23 ad q. 46.

DISSERTATIO I

DE CHARITATE SECUNDUM SE

D. Thomas, q. 23.

ARTICULUS UNICUS

Complectens omnia quæ spectant charitatem secundum se.

[Charitas dicitur etiam *amor*. Amor est inclinatio in bonum. Bonum enim propositum appetitui, quasi pondus ipsum movet et inclinat ad se, secundum notissimum Augustini effatum, lib. XIII *Confess.*, c. 9, n. 10 : « Pondus meum amor meus ; eo feror quocumque feror. » Ista inclinatio appetitus in bonum dicitur amor seu complacentia. Si sit cum electione unius boni præ alio, dicitur *dilectio*. Si sit boni quod magno pretio aestimatur, dicitur *charitas*. Si tandem sit cum redamatione, dicitur *amicitia*. Amor igitur latius patet quam dilectio, charitas et amicitia.

Amor est triplex : 1° Naturalis, quo unaquæque res etiam non cognoscitiva appetit bonum sibi conveniens, ut grave dicitur amare centrum. 2° Animalis seu sensitivus,